



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqv̄et E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Cap. 61. De exercitijs præcipuarum virtutum, charitatis proximi, resignationis, humilitatis, contemptus rerum humanarum, paupertatis, obedientiæ, castitatis, patientiæ, abstinentiæ, servoris Sanctorum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

Pfal. 72.

Pfal. 15.

Pfal. 38.

Pfal. 72.

Deo meo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam: tu enim Domine pars hereditatis meae, & calicis mei: tu es qui restitues hereditatem meam mihi: verè funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hereditas mea præclara est mihi. Etenim nunc qua est expectatio? nonne Dominus? & substantia mea apud te est. Quid ergo mihi est in calo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

JACVLATORIÆ.

Pfal. 72.

Ierem. 2.

Sap. 11.

Cant. 8.

Lucæ 1.

Pfal. 27.

Ierem. 2.

Prover. 8.

Pfal. 56. &

107. 118. 30.

Exodi 33.

Pfal. 5.

Quid mihi est in calo, & à te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

O quàm amarum est mihi reliquisse me te Deum meum & omnia bona.

Quis resistet tibi & charitati tue coram quo sic est orbis terrarum tamquam gutta roris antelucani?

Pone te ut signaculum super cor meum, ut signaculum super brachium meum.

Obsecro te per viscera misericordie tue in quibus visitasti nos: veniens ex alto, & visitas quotidie, respice in me.

Mihi autem adharere Deo meo bonum est & ponere in Domino spem meam.

Vnde hoc mihi ut recorderis? unde hoc mihi ut delicia tua sint esse mecum.

Paratum cor meum Deus sive ad prospera, sive ad aduersa: paratum cor meum tibi, tui ego sum, tu quaeso, Deus, esto mihi.

Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, & dirige in conspectu tuo viam meam. Amen.

CAPVT LXI.

De exercitiis præcipuarum virtutum.

CONTINET hoc caput exercitia brevia virtutum præcipuarum, & adspiraciones, ut si quando in meditatione harum motivum occurrat, his si libet affectus earum augere queas.

Exer.

Exercitium brevius, de Charitate proximi.

O Charitas Deus meus, credo tibi & spero in te, & diligo te
 toto corde & proximum propter te. Etenim in hoc cognos- Matth. 5.
 cent omnes quod discipuli tui sumus si dilectionem habuerimus
 ad invicem. Hoc inquitbas esse mandatum simile maximo. Qui
 enim diligit proximum verè legem implevit, & qui non diligit Rom. 13.
 manet in morte. Si ergo ante omnia mutuam in nosmetipsos cõ-
 tinuam charitatem habere debemus, ex hoc in æternum super
 omnia hanc servare volo, & discipulus tuus esse, neminem ju-
 dicare, neminem verbo aut opere contristare, sed solari, juvare,
 ultro honore omnes pravenire, omnes in te diligere, omnibus et-
 jam minimis facere quod tibi facerem, ò amantissime JESV. Ioan. 13.
 Mandatum enim, dixisti, novum do vobis, ut diligatis invicem
 sicut dilexi vos. Cum igitur dignatus sis animam ponere pro nobis
 & me: & ego debeo & cupio gratiã tuã pro fratribus non pecu-
 niam, non commoditatem solum ponere, sed animam meam.
 Da autem mihi, ò JESV, non diligere verbo, neque lingua, sed
 opere & veritate, ut quacumque volo ut faciant mihi homines, Matth. 7.
 id faciam illis seu tibi potius, quã enim mensus mensurã fuero,
 remetieris mihi, & te ipsum dabis mihi, qui es spes mea, salus mea
 & refugium meum.

IACVLATORIE.

Credo Domine, hoc esse preceptum tuum ut diligamus te, & in Matth. 22.
 vicem sicut dilexisti nos, cumq; in his universa lex pendeat &
 propheta, cupio implere ea toto corde meo, & diligere proximum sicut
 meipsum

Vt quid, ò JESV, ergo diligo vanitatem & quero mendacium? Psal. 4.
 ut quid in aliis hareo, & decimo mentham & anethum, & toto cor-
 de non diligo te in proximo meo & tolero defectus ejus, & adimpleo
 legem tuam?

Cerè etiam si fide montes transferam, & tradidero corpus meum Matth. 23.
 ita ut ardeam & universum mundum lucrer, charitatem autem
 non habuero, quid mihi prodest, aut proderit in iudicio tuo?

Da quod jubes Domine JESV, & jube quod vis, paratum est cor 1. Cor. 13.
 meum, & non est abbreviata manus tua.

Obsecro te, charitas Deus meus, per viscera tua misericordie, da Matth. 5.
 mihi ut diligam proximum propter te & inimicos meos, gaudeam de
 bonis, & malis illius doleam, ut filius tuus sim.

Cum tu charitate perpetuã dilexeris me, diligam te Deus fortitu- Ierem. 31.
 do

do mea, & animam meam pono pro fratribus meis, quanto magis omnem substantiam meam!

Pfalm. 8.

Domine, quid est homo quod sic memor sis ejus, ut tibi fieri dicas, quod uni ex minimis fecero? nunquam ergo avertar ab ullo ut nunquam avertari à me.

Prover. 8.

O utinam delicia tua sint esse mecum & charitas tua diffusa sit in corde meo, & faciam omnes voluntates tuas, & placeam in bono proximo meo.

Rom. 5.

Galat. 2.

Vivo ego jam non ego, sed tibi, & vivet tibi anima mea in omnibus, & semen meum serviet tibi. Amen.

Pfal. 21.

Exercitium brevius de affectu Resignationis.

1. Cor.

O Christe JESU, refugium meum, Domine mi, credo, & in te spero, & te toto corde diligo. Cùm verò in te vivamus

Act. 17.

Pfalm. 72.

moveamur, & simus, ex hoc momento in aeternum tibi vivamus & movebor & ero. Quid enim mihi est in celo, & à te quid vultui super terram? Si quid est, toto corde abnego, ut amem te totam animam meam. Et verò quid velle miseri extra te possumus in uno omnia habentes? Ecce apposuisti mihi in hoc N. aquam &

Tobiae 10.

ignem, mortem & vitam, tristitia & leta, speranda & timenda.

Ecclias.

quid optabo aut timebo? ad quae extendam manum meam? ego nescio introitum & exitum meum ò JESU, nescio, tu scis, fac de

3. Reg. 3.

Pfalm. 30.

me quod placet tibi, tuus sum ego toto corde. In manibus tuis sortes meae: sive in morte, sive in vita. ad te levabo oculos meos,

Pfalm. 133.

& extollam manus meas in sancta, benedicam te Domine in aeternum, in aeternum. O unica mea spes Christe JESU Deus

Pfalm. 72.

meus, fiat voluntas tua, sicut in celo & in terra, fiat, fiat, non quod ego volo, sed quod tu. Ecce ut jumentum factus sum apud

1. Pet. 5.

te, & ego semper tecum, idè omnem sollicitudinem meam, sive de publicis, sive privatis agatur, in te projicio ex nunc in aeternum;

Amos 3.

quoniam scio, scio tibi, tibi de illis & istis ter maxime Deus est cura, etiam de me, etiam de me, etsi noveris me & nihil meum.

Thren. 3.

Custodi me obsecro te propter te ut pupillam oculi & sub umbra alarum tuarum protege me. Et si non est malum in civitate quod

Amos 3.

non feceris, amantissime Domine mi, quid querar? fiat, fiat voluntas tua, & si non est bonum nisi à te, ad quem respiciam nisi

Thren. 3.

ad te? & praestolabor cum silentio salutarem tuum Deus meus, & diligam te toto corde meo. Amen.

JACVLATORIA.

Vere, ô IESV, nescit homo finem suum, nescit ingressum & introitum suum, idco ad te Domine levavi animam meam Deus meus, Psal. 24. in te confido, & non erubescam.

Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. O utinam ô IESV id nunquam fecissem, cum tu praesens adstes mihi spes mea & gloria mea.

Et nunc qua est expectatio mea? nonne Dominus? & substantia mea apud te est.

Ego mihi in Deum protectorem & in locum refugii, ut salvum me facias: nō enim in arcu meo sperabo, & gladius meus nō salvabit me.

Obsecro te per charitatem, ut qui docuisti me à juvenute meā usque in senectam & senium Deus, ne derelinquas me, sed perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.

Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in umbrā alarum tuarum sperabo.

Domine quid est homo quod memor es ejus? aut filius hominis quia visitas eum? & apponis erga eum cor tuum?

Quis mihi tribuat ut sub umbrā ejus quem desideraveram sedeam? Quis mihi tribuat ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus tu Deus custodiebas me: quando splendebat lucerna ejus super caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris!

Ad te Domine, levavi animam meam: dirige me quaso in semitam mandatorum tuorum quia ipsum volui.

Exercitium brevius de affectu Humilitatis.

DISCERE me jubes à te Magister bone, ut mitis sim & humilis corde, & unde obsecro, qui nihil sum & vapor, ignorans odio an amore dignus sim, unde instari possum: si existimem me aliquid esse cum nihil sim, scio ipse me seduco: si nihil sum, si nihil habeo quod non accepi, & tua sunt omnia, cui me proponam: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à te Patre luminum, & Deo gratias, Deo gratias, Deo gratias. Video quis sim, ubi sim, & qualis, ubi, etiam esse hodie possum, quid faciam & facere hodie possum: mala scilicet omnia ex me, & bona aliqua per te, non enim sumus sufficientes facere aliquid ex nobis tamquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex te est, & omnia opera nostra operatus es in nobis. Nunquid ergo gloriabitur securis contra eum qui secat in eā, & coram te, ter maxime Deus, qui exaltas humiles,

&

Dan. 3.

& despicis superbos, etiam Angelos mente cordis sui, & humi-
lias omnem superbum Cupio igitur gratiã tuã recumbere tecum
in novissimo, de nullo queri, omnia enim in vero iudicio fecisti,
nullum æmulari, ex te enim & in te & pro te, sunt omnia Deis
cordis mei & omnia. Amen.

JACVLATORIÆ.

Psal. 113.

Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tui da gloriam, omnia
enim in nobis operatus es.

Isaia 10.

Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in eã, aut re-
altabitur serra contra eum à quo trahitur?

Isaia 48.

Psal. 115.

Gloriam tuam, Domine, alicui non dabis idẽd vota mea tibi Do-
mine reddam, & confitebor nomini tuo in conspectu Sanctorum tu-
rum.

Sap. 4.

Da mihi Domine, se lium tuarum assidelicem sapienciam, ut me-
cum sit, & mecum laboret, & tibi soli honor sit & gloria in sacula
saeculorum.

Ioan. 15.

Psal. 43.

Obsecro te Domine, qui pro me venisti ministrare & non mini-
strari, da mihi, ut tecum recumbam in novissimo loco, & exaltes me
in tempore visitationis tuae.

Psal. 112.

Sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite, sic ne-
que nos nisi in te manserimus. In te igitur laudabitur tota die, & in
nomine sancto tuo sperabimus.

Psal. 5.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia
respicit in celo & in terra?

Psal. 16.

Domine deduc me iustitiã tuã propter inimicos meos, dirige in
conspectu tuo viam meam.

Non loquatur os meum opera hominum, sed benedicant omnia
qua intra me sunt nomini sancto tuo.

Exercitium brevius de Contemptu rerum
terrenarum.

Matth. 13.

Psal. 77.

Matth. 5.

O Sapiencia eterna, o veritas, o Magister bone, qui eructasti
nobis abscondita à constitutione mundi, da mihi ut idem
sapiam tecum, idem loquar, beatos eos appellem, nempe paupe-
res, mites, patientes, pacificos, quos tu appellasti, & sunt in
aternũ apud te tot Sancti & electi tui. Da ut de mundo & con-
cupiscenciã eius sentiam quod tu Deus meus: nõne enim transit
instar navis, floris, volucris, fluminis, fumi & vaporis quidquid
est: Quid enim qui ab orbe condito hoc in loco, urbe, regione, vel
etiam

etiam à seculo fuerunt, ubi nunc sunt? ubi ego & illi brevi erunt qui nunc sunt? Transferunt illi, & non est invenire vestigium eorum, transibunt & hi. Vanitas vanitatum, & omnia Eccles. 1.
 vanitas. Scio, scio, & tu sola veritas, sola bonitas, quam diligo Matth. 16.
 super omnia, pro quâ dispono omnia. Quid enim prodest mihi
 & ulli homini, si universum mundum lucretur, & anima sua
 detrimentum patiatur? quid prodest? Verè enim non satiatur Ecclesi. 2.
 oculus visu, nec auris auditu impletur, neque anima his terrenis
 omnibus; res enim omnes extra nos sola cognitione ferè in nobis
 sunt, immò aequè anima in opinione sola, atque re ipsa quiescit,
 neque in ullo omninò quiescere potest cor meum, nisi requiescat
 in te. Cur ergo in vanum curro, & aërem verbero? cur ullius
 hominis diem quero, aut iudicium revereor? Mihi pro minimo
 est ab ullo iudicari, aut ab humano die. Quid verò mihi opus est
 cetera querere, quibus expleri non possum, & qua si primò quasi
 vero, te ultrò adjicies mihi! Eant igitur qui confidunt in nihilo, Matth. 6.
 & loquuntur vanitates, conceperunt laborem, & pepererunt ini- Psalm. 37.
 quitatem. ova assidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt, & Psalm. 7.
 cum dictum sit à te, nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possi-
 det, non potest meus esse discipulus, abnego omnia & abhareo
 tibi Deus meus omne bonum. Amen. Isaia 56.

IACVLATORIÆ.

Spes impii tanquam lanugo quæ à vento tollitur, & tanquam fu- Sap. 5.
 mus qui à vento diffusus est; idcirco adhæreo tibi, o veritas, toto
 corde meo, neque peto ultra quicquam de hoc mundo.
 Filii hominum usque quo diligitis vanitatem, & quaritis menda- Psalm. 4.
 tium?
 O filii sæculi, nōne subter te sternetur tineæ, & operimentum tuum
 erunt vermes? Isaia 14.
 Ecco transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut ne- Sap. 2.
 bula dissolvetur quæ fugata est à radiis solis, idèo fac Domine, ut
 adhæreat anima mea post te, & suscipiat me dextera tua.
 Obsecro te per charitatem tuam, da mihi Domine ut sapiam & Psalm. 30.
 intelligam, & novissima provideam: odisti enim observantes vani-
 tates super vacuas.
 Non sedi in concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non in- Psalm. 25.
 trobo, o aterna Sapiencia, sed sequar vestigia pedum tuorum.
 Quid prodest homini si universum mundum lucretur, & anima Matth. 16,
 sua detrimentum patiatur?

Super

- Pſalm. 36. *Super flumina Babilonis, illic ſedimus & fleuimus dñm recorda-*
 Pſalm. 59. *remur tñi Sion. Deduc me Domine in ciuitatem mutatam ſecundum*
beneplacitum tuum.
- Pſal. 39. *Beatus uir cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in*
vanitates, & inſanias falſas.

Exercitium breuius de Paupertate.

- Lucæ 5. **O** Rex regum, & Dominus dominantium, qui mihi hic ades,
 & ubique me conſeruas, uerè dixiſti: Beati pauperis
 ſpiritu, o ueritas, & ego beatus eſſe nolim, & habere regnum
 tuum, & ſimilis eſſe tibi Regi meo Deo meo, & ſedere aliquando,
 Matth. 19. & tecum iudicare? uerè elegiſti pauperes in hoc mundo, & deſi-
 Iacobi 2. derium pauperum ſoles exaudire. Elige ergo me. & exaudi me,
 quia ecce toto corde & ſincero abnego omnia propter te parua &
 magna, ſaltem affectu, ut dicere aliquando poſſim, Ecce nos reli-
 quimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? quibus
 certè theſaurus maximus in celo. Et quis ille? Tu amantiffimus
 Ieſu, tu ei in theſaurus meus, in quo eſt cor meum & omne
 Iob 1. deſiderium meum. Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, &
 Matth. 19. nudus reuertar illuc, & ego nudus, nudum te Ieſum ſequi cupio,
 & perfectus eſſe. & vendere omnia, ut inueniam in te hic &
 in æternum centuplum & omnia Amen.

IACVLATORIÆ.

- Matth. 5. **V**erè beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum calorum.
 Credo Domine, ad ſua incredulitate meam.
- Thren. 3. *Recordor, Domine Ieſu, paupertatis, & abſinthii, & fellis Domini*
mei, & ego poſt hac de ullo quer. poterò?
- Matth. 19. *Ecce nos relin. uimus omnia, & ſequimur te, quid ergo erit nobis*
in die illà tremendà?
- Pſalm. 109. *Deſiderium pauperum exaudi ſi, Domine.*
- Pſalm. 118. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor hac mirabilia de lege tuà, &*
precium paupertatis tuæ.
- Obſecra- *Obſecro te per præſep tuum & panniculos tuos, Domine Ieſu, da*
 tio. *mihi ut in omnibus gaudeam imitari paupertatem tuam, de nullo*
queri, nihil appetere.
- Lucæ 14. *Volo Domine uenire poſt te, & abnegare omnia, qui enim non*
renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt eſſe tuus diſcipulus.
- Iacobi 2. *Nonne tu, Domine, elegiſti pauperes in hoc mundo, diuites in fide*
 & heredes regni, quod promiſiſti diligentibus te?

Domine,

Domine quid est hoc vulpes s' veas habent & volucres cali nidos, Lucæ 9.
 & tu fili hominis Deus meus non habes ubi caput & cline pro me?
 Quid mihi, o Domine est in celo, & à te quid volui super ter. Psal. 72.
 tam?

Exercitium brevius de Obedientiâ.

Humiliaſti temetiſum Domine Deus meus & Rex meus, Phil. 1.
 factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis,
 ut dicerem à te eſſe mitis & humilis corde, & ego non ſequar te Luca 10.
 ſic invitantem me? non audiam te dicentem, Qui vos audit me
 audit, qui vos ſpernit me ſpernit? Sequar per gratiam tuam: me- 1. Reg. 15.
 lior certè eſt obedientia quàm victima, & auſcultare magis
 quàm offerre adipem arietum; quaſi enim peccatum ariolandi
 eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Itaq;
 per gratiam tuam ſubjectus ero omni creaturæ propter te, maxi-
 mè Superioribus meis. ſive bonis. ſive dyſcolis; & voluntariè ſa-
 crificabo tibi, qui oblatus es propter peccata mea, & attritus pro-
 pter ſcelera mea, ut nec in ullo opere inveniatur voluntas mea.
 Neque inquirem velut nec Abraham, quare præceperis mihi, tu
 enim ſapientia æterna es, & ego puer neſciens introitum & exi-
 tum meum. Tu bonitas inſinita es, & de me quaſi ſolus eſſem ſol-
 licitus eſſe dignaris, & ſcio vir obediens loquetur victorias. Quid
 igitur eſt Domine JESV Redemptor mi, quid vis me facere? pa-
 ratum cor meum. paratum: da quod jubes, & jube quod vis ſer-
 vo tuo, filio ancilla tua. Veni enim facere voluntatem tuam,
 Deus meus volui, & volo legem tuam in medio cordis mei. Amē.

JACVLATORIÆ.

Beati immaculati in v' à qui ambulanti in lege Domini, & qua Psal. 118.
 via hac quam monſtraveris mihi? audivi enim hanc vocem
 tuam. Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit.

Dixi, Conſitebor adverſum me injuſtitiã meã Domino, & Luca 10.
 inobediẽtiam meã, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei, quaſi Psal. 31.
 enim peccatum ariolandi eſt repugnare, 1. Reg. 15.

Quomodo dilexi legem tuã Domine, totã die meditatio mea, à Psal. 118.
 judiciis enim tuis timui.

Revela Domine oculos meos, & conſiderabis mirabilia de lege tuã. Ibidem.

Obſecro te Deus per charitatem tuã, legem pone mihi viã Iudem.
 juſtificationum tuarum, & exquiram eã ſemper.

Z z

Iuravi

Pfal. 118.

*Iuravi & statui custodire iudicia iustitie tue,
Mirabilia testimonia tua Domine, ideo scrutata est anima mea,
ergone omnia seruient tibi & non ego?*

Ibidem.

*Viam dirigantur via mea ad custodiendas justificationes tuas,
& facias de me secundum eloquium tuum!*

Ibidem.

*Leuavi manus meas, id est opera, ad mandata tua qua dilexi, &
exercebar in justificationibus iuis Domine, quid vis me facere?*

Exercitium breuius de Castitate.

Prover. 22.

O Fili virginis IESV Christe, dilectissime anima mea, cuius oculi contemplantur me omni loco, Beati sane sunt mundi corde, verè beati, quoniam ipse te videbunt; videbunt et hoc est unicum votum meum, & omne desiderium meum. Audi vi dicentem Ecclesiasten tuum: Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum, habebit amicum regem: alio ego eam diligo, ut tu mihi amantissime Domine mi amicus sis, qui dedisti mihi gratiam ut caperem verbum quod non omnes capiunt, ut non nuberem, sed essem sicut Angelus Dei, sollicitum tantum qua Domini mei sunt, ut anima mea tota pulchra & sine macula & ruga audire aliquando mereatur, veni veni de libano soror mea sponsa, veni coronaberis. Sed quia scio quoniam aliter non possum esse continens, nisi tu Deus des mihi, rogo te per viscera misericordie tue, custodias animam meam, quoniam ego sanctus sum, ut vitem occasiones eas, & conversationem & diligentissime sic N. sensus custodiam, ut ignem illum evadam qui ad interneccionem devorat, & urat me ignis amoris tui, quem voluisti vehementer accendi. Amen.

Pfal. 85.

Prover. 5.

IACVLATORIE.

2. Cor. 7.

Volo sine sollicitudine esse per gratiam tuam bone IESV, & absque à me, ut peccem in Dominum meum & templum eius.

1. Cor. 3.

Heu mihi, quod vel minimo navo effenderim purissimos oculos tuos Christe IESV.

Prover. 21.

Nonne qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum habebit, o IESV te amicum regem suum in illa die?

Sap. 5.

Da mihi hanc Margaritam o virginum sponse in aeternum: Scia Domine quoniam aliter non possem esse continens nisi tu dederis.

Pfal. 50.

Obsecro te per virginum Reginam Matrem tuam, cor mundum

crea in me Deus, & spiritum rectum inno va in visceribus meis.

Cum qui non nubunt neque nubentur, sint sicut Angeli Dei, cupio
omne periculum vitare gratia tua Deus meus. Lucæ 10.

O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est
animi memoria illius. Apoc. 14.

O quis mihi tribuat sequi te Agnum immaculatum, quocunque
ieris in aeternum? Sap. 4.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Matth 5.

Exercitium brevius de Patientiâ.

AUDIO te patientissime IESU, & video te velut præsentis-
simum virum dolorum, & scientem infirmitatem, audio
docentem verbo & exemplo, ut in patientiâ possideam animam
meam: Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur
me, ita cupio tollere crucem & sequi te, scio enim quod non fines
me tentari supra id quod possum. Tu nosti onus iumentum tui qua-
le ego factus sum apud te, & scio bona & mala: paupertas & ho-
nestas a te Deo meo sunt, neque est malum in ciuitate quod non
fecerit Dominus meus, Et si bona de manu tuâ accepimus, mala
quare non sustineamus: Iram tuam Domine portabo, quoniam
peccavi tibi; Omne gaudium existimabo, uti me horiatur Apo-
stolus, cum in varias tentationes incidero, & recogitabo te aman-
tissime IESU, qui talem sustinuisti adversus te metipsum pro me
contradictionem, ut patientia mea multo greciosior auro inveni-
atur in laudem & gloriam nominis tui, qui tot ac tanta pro
me passus es, ut intrares in gloriam tuam. Et spero momenta-
neum hoc N. & leve tribulationis nostræ, supra modum in subli-
mitate aeternum gloriæ pondus operabitur in nobis. Amen.

Eccles. 11.

Amos 3.

Mich. 7.

Iacobi 1.

Hebr. 11.

1. Reg. 2.

1. Cor. 4.

JACULATORIÆ.

Recogitabo t, Domine IESU, in his N. qui talem sustinuisti ad-
versus te metipsum contradictionem pro me, ut non fatigaretur ani-
ma mea. Hebr. 11.

Quis ego sum qui dicam tibi, cur fecisti nobis sic: Tu enim Domi-
nus, & nos servi tui, opus manuum tuarum. Rom. 9.

Exod 23.

Quis sum ego qui contradicam sermonibus Sancti Dei mei? quis
sum ego ut loquar ad Deum meum? pulvis & cinis, etiamsi inimici
mei maledicant mihi. Psalm. 137.

Iob. 6.

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Psalm 6.

Obsecro te, patientissime IESU, qui sic à tuis derelictus, sic ab hosti-

Obsecratio

Z z z

b us

- i. Pet. 4. *bus afflictus fuisti, da mihi te in cruce passo eadem cogitatione armari.*
- Prov. 3. *Disciplinam tuam Domine, non abiciam, nec deficiam cum à Patre corripior, audiui enim, quem diligit Dominus corripit, & quasi in filio complacet sibi.*
- Lucæ 24. *Itane oportuit te Rex gloria pati, ut intrares in gloriam tuam: absit ergo mihi gloriari nisi in cruce Domini mei.*
- Galat. 6. *Vtinam dignus sim cum Apostolis tuis gaudenter pro nomine tuo contumeliam & pauperiem, & quicquid tibi placuerit pati.*
- Act. 5. *Patientiam audio necessariam ut reportent promissionem. Itaque fac ut pro te pati mihi dulce sit, & vita sit pro te mori, & cibus meus facere voluntatem tuam.*
- Hebr. 10.

Exercitium brevius de Abstinentiâ.

- O** Aeterna Sapientia, fieri potest, ut non tinniant adhuc ambe aures nostræ precepto illo tuo primo dato homini, primo & sancto: In quocunque die comederis, morte morieris, & adhuc Eva nostra libet auscultare, & hosti huic vilissimo succumbere, & ventri & Deo parere? & edere, & nunquam satiari siliquis porcorum? Iustus comedit & replet animam suam, venter autem impiorum insatiabilis. Nonne omnis qui in agone contendit ab omnibus se abstinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam? Nolo igitur amore tui, qui pro me esuriisti quadraginta dies, & sitiisti, felle & aceto in cruce potatus es, nolo propter vilissimam escam, momentaneam voluptatem destruere opus tuum Deus meus; sed libens si placuerit, sequar te Domine cum Nazareis, vinum & siceram non bibam, in quo est luxuria, sed desidero cum Daniele & Eliâ, Ioanne, & omnibus Sanctis tuis sobriè, & justè, & pie tibi vivere, & expectare beatam spem, & adventum gloria tua. O Deus, ô satietas, ô verè omne bonum meum. Amen.
- Prover. 13. *1. Cor. 9.*
- Rom. 14.

IACVLATORIE.

- C** Redo, Domine, initium omnium malorum nostrorum est gula, Cideo soli necessitati parebo, & spero quod de necessitatibus meis etiam eripies me.
- O quam verè panis in utero peccatoris vertitur in fel aspidum intrinsecus! O quam amarum mihi est reliquisse te Dominum meum!
- Nonne turpissimum erit, & tamen equissimum in iudicio de primo, de carnis frusto damnari?

Da mihi Domine, spiritu ambulare, & desideria carnis non persequere ad gloriam tuam. Galat. 5.

Obsecro te per esuriam tuam, & acetum, & fel, quibus in cruce potatus es, Domine ne extingue in me gula concupiscentiam insidiantem mihi. Obsecratio.

Si esca aut modus, aut tempus scandalizat fratrem meum, aut tibi displicet Redemptor mi, non comedam in aeternum.

O quam comederunt Patres nostri uvam acerbam, & adhuc dentes filiorum obtupefcent. Jerem. 31.

O quam beatum hic esurire, & satiari cum apparuerit gloria tua. Psal. 16.

Meus cibus, Domine IESU, sit, obsecro, facere voluntatem Patris tui, & tuam qui elegisti me. Ioan. 4.

Exercitium brevius de spirituali fervore contra Acediam.

Tunc Domine IESU Rex meus & Deus meus, tunc in laboribus es à juventute tua pro me, & omnes Sancti tui? & omnis creatura tua laborat mihi ut serviam tibi, & quomodo sudat mundus ut pereat tibi & sibi? ego igitur servulus tuus emptus pretio tam magno, non jam portabo & glorificabo te in corpore meo? Per gratiam tuam quodcumque potest facere manus mea, instanter pro te operabor, qui sic operaris omnia in omnibus pro me, & sic es operatus salutem meam in medio terra. Bonum autem facientes si non deficiamus, tempore suo metemus. Galat. 6.

Et quid obsecro nisi frumentum scilicet electorum quod tu es, & sola satietas? et beati et leti comedemus panem in regno tuo in aeternum, si in momento hoc in sudore vultus vescamur pane, et regno tuo vim faciamus? ut quid ergo in pigrutis humiliatur contignatio mea, & cur manus mea ut sortium non parat divitias? Sed qua est fortitudo & laus mea? tu Domine, & hodie factus es mihi spero in salutem; etenim cupio perfecte servire tibi et diligere te, non cæcum & claudum offerre tibi. Mors instat, tempus volat irrecuperabile, & fortior morte dilectio, & charitas tua urget me. Quis ergo tyrannus amputabit ultra summitates manuum mearum, ut olim Adonihesec septuaginta regibus, ut egestatem hic operer, & filius fiam aeternae confusionis? Absit, absit, non sunt enim condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam qua revelabitur in nobis, ideo non defraudabor à deo. Eccli. 14.

bono, & particula boni diei non prateribit me ut in aeternum amodò jam dicat spiritus ut requiescam à laboribus istis. Amen

I A C V L A T O R I Æ.

- Psal. 131. **S**i dederò somnum oculis meis & palpebris meis dormitacionem, & requiem temporibus meis, donec in veniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.
- Psal. 17. **I**n viâ tuâ Domine non progredi, regredi est; pone ergo pedes meos quasi cerorum, & super excelsa statuas me.
- Matth. 20. **Q**uid faciam quando vocabis operarios, ut reddas eis mercedem suam? ut quid terram occupo terram Sanctorum, & non video tibi frugen in tempore suo?
- Lucæ 8. **R**etrisue seruo tuo, vivifica me, & custodiam mandata tua.
- Bernard. **Q**uam mitius me privares ô amara mors vita usque quam fructu, quem tibi ô IESV, debet terra anima mea!
- Psal. 57. **O**bscuro te, amantissime IESV, per labores & sudores tuos, da mihi pennas sicut columba & volabo, & requiescam in te spes mea.
- Thren. 3. **Q**uamdiu vixero, memor ero laborum quos sustinuisi in predicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo & recordabor etiam dolorum tuorum.
- Bernard. **N**onne sicut avis ad volandum, sic homo natus ad laborem? & adhuc querimus requiem? nonne scio iudicia tua inscrutabilia, quia habenti dabitur, & à pigro auferetur talentum suum?
2. Cor. 4. **Q**uam momentaneum & leve tribulationis nostra aeternum gloria pondus operatur in nobis!
- S. Ambros. **A**mor tuus ô IESV, non est otiosus, operatur enim magna si est, & si operari recusat, amor non est.

CAPVT LXII.

Exercitium post Meditationem.

Gratias age
pro audien-
tia.

Primò, gratias age Deo pro dono orationis, quòd infinita majestas dignata fuerit te ad sui conspectum, ad colloquium admittere, & distractas orationes ac laudes non aspernari, etiam si sit in medio cellæ suæ, & nuptiali convivio, quod fecit Rex filio suo, inter Angelorum ac Beatorum laudes & hymnos, quodque cum iste clementer audire non recusavit: & generatim pro omnibus beneficiis. Secundò, considera